DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASTHMATE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASTHMATE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL T. GREGG,

Hibernus;

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.


" Angusta via est quae ducit ad vitam."

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO SPECTATISSIMO

GULIELMO STEWART, M. D.

COLLEG. REG. CHIRURG. IN HIB. SOC.

NOSOCOMII COMITATUS ANTRIMI,

CHIRURGO;

&c. *&c.* *&c.*

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EXIGUUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

PROPTER EXIMIA EJUS PRAECEPTA

IN MEDENDI ARTE,

INSCRIBIT

DISCIPULUS

SAMUEL T GREGG.

VIRO CARISSIMO

THOMÆ HANCOCK, M. D.

COLLEG. REG. MED. LOND. PERMISS.

DISPENSARII URBANI LONDINENSIS,

NECNON DISPENSARII FINSBURY

MEDICO;

&c. &c. &c.

HOCCE OPUSCULUM,

QUO

TESTETUR QUAM GRATUS SIT,

OB

BENEVOLENTIAM IN DESIDERATUM SUUM PATREM EDITAM,

ET

IN AMORIS PIGNUS

DAT DICAT DEDICATQUE

CONSANGUINEUS

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

ASTHMATE.

AUCTORE SAMUELE THO. GREGG.

Apud medicos antiquiores Asthma duas in species diductum est: nimirum in Asthma humorale, pituitosum, humidum, et in spasmodicum, siccum, et convulsivum. Per primum fere dyspnoeam hodiernam intellexerunt. Ultimum, vero Cullenus hisce verbis definivit.

" Spirandi difficultas per intervalla subi-
" ens: cum angustiae in pectore sensu et re-
" spiratione cum sibilo strepente: tussis sub
" initio paroxysmi difficilis, vel nulla, versus

"finem libera, cum sputo muci saepe co-
"pioso."

Asthmatis vero idem auctor species tres fecit, non signorum, sed causarum discrimina respicientes: quae ideo ab Asthmate spasmodico nihil discrepant.

Asthmatis impetus fere subitus est, atque plerumque brevis. Utrumque sexum adoritur, saepius tamen mares plenos: quos ad summam tandem maciem et debilitatem nunquam non redigit, iteratis suis accessionibus. Hic morbus plerumque post pubertatem apparet: sed exempla etiam Asthmatis decennis visa sunt.

Accessus fere prima vel secunda hora antelucana supervenit; praegressis fere languore animi insigni corporisque inflationibus; urina pallida saepius excreta; capitis dolore; somno perturbato; angustiae, vel strictionis in scrobiculo cordis sensu; ructu. Sub decubitûs tempore haec mala paulatim ingra-

vescunt; atque miser hoc tempore de cruciatu iterum perpetiendo certus, saepe mortem dolorum finem exoptat.

Noctu aeger subito expergiscitur, sensumque constrictionis angustiaeque circa pectus vehementem percipit: qui saepe ad laryngem usque extenditur. Hoc tempore spirandi difficultas maxima est. Tam inspiratio quam expiratio lenta laboriosa est; cum sonitu anheloso, sibilante: pulsus fit celer, aliquando abnormis. Verisimile enim est, sanguinem tum per pulmones haud ita facile transire; nam plenis asthmaticis facies tum turgida, quasi suffusa est: oculorum vascula praeter naturam turgida prominentia.

Si aeger positum supinum forte occupet, cum paroxysmus accedit, quam celerrime positum erectum quaerit; eoque remanere cogitur, donec ille magna ex parte subsederit.

Si vero mediocris fuerit, paroxysmus ante horam 24^{tam} vel 48^{vam} ab initio finitur.

Remissio nunc paulatim accedit, spiritus fit liberior, minusque laboriosus: ut asthmaticus tussire, commodiusque loqui nunc valeat. Tussis cum sputo redit, postquam accessus violentia recessit, quod si copiosum et facile, nunquam non mala magnopere imminuit: evacuatione scilicet e partibus maxime affectis, vasa olim obstructa vel nimis tensa levantur.

Nec insolitum est, inter paroxysmum nares vim sanguinis mirificam profundere: quasi hac via natura se liberare vellet. Aliquamdiu post accessum, novus paroxysmus facile incitatur: minima exercitatio, lenissima voluntatis suae contradictio vel oppositio, reducit novum etiam priore molestiorem.

Sub paroxysmi finem urina fit saturrime colorata, sedimentum demittens. Sanitas nunc paulatim redit; animi hilaritatem secum afferens: atque Asthmaticus, se prorsus liberatum credens, omnibus vitae oblectamentis se mergit, reditum mali tam sero fugati nec me-

tuens, nec recordans. Hujus autem temeritatis cito eum poenitet.

Siquidem varia jam tradita indicia non ex voto terminentur; sed contra, augescant; tum facies suffusa summam anxietatem denotat; extrema frigescunt, urina et alvus sua sponte redduntur. Summum periculum est; atque nisi prompte succurritur mors cito miseriis finem imponet.

Ventriculus et intestina saepe torminibus crudelibus, caloribus ardentibus vexantur; menses aut obstructi, aut ante diem producti sunt: etiam crurum tumores, animi deliquia, palpitationes, universa relaxatio et debilitas, cum aliis signis hydropicis in ultimo hujus morbi tempore apparent. Asthma saepe haereditarium est, atque corpori semel radicitus infixum per vitam durat.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

TEMPERAMENTUM prae aliis, ut GREGORIUS bene in Conspectu Medicinae Theoreticae notavit, Cholericum ad Asthma proclives reddit: hujusmodi enim homines congestionibus sanguinis in pulmonibus subitis, etiam motibus animi vehementioribus magis obnoxii sunt. Quaecunque sanguinis impetum accelerare tendunt, evitari assidue debent.

Causae autem praedisponentes praecipue sunt thoracis, aut viscerum ejus prava conformatio; collum breve, humeri angustiores; proclivitas haereditaria, rubeolae reliquiae, tussis hybernalis, pleuritides; pulmonum mobilitas morbida, obstructiones pulmonum ex tuberculis. Exemplum apud HIPPOCRATEM extat: "Filia Agasiae quae adhuc puella anhe-
"losa fuit a tuberculo crudo; concoctu per-
"tinace; sed gravida facta tuberculum rup-
"tum est, aegra asthmatica relicta."

Aliae causae praedisponentes sunt vita sedentaria, senectus, gibbositas, vapores metallici. Medicamentarium quendam novi, qui particulis ipecacuanhae inter terendum tenuioribus in laryngem exceptis, asthmaticus deinceps remansit.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Coeli effectus in Asthmatis obnoxios manifestissimi sunt. Aër siccus, corpusculis alienis, vaporibus, fumis, similibusque liber, morbo eorum amicissimus est. Sed causae Asthmatis varient pro corporis affecti constitutione; alius enim tempestate frigida, alius calida afficitur. Sed, ut mihi apparet, asthmaticorum plerique longe saepius coelo frigido pluvioso, cum nubilis offendi solent. Affectus animi quoque accessum inducere possunt, desiderium, gaudium, ira, moestitia, consternatio, terror, aliique. "Nec amoris gau-"diis fruendis bene accommodatur Asthma-"ticus."

Aneurysmata aortae, diaetae errores, aqua in pectore, hepatis, aliorumque viscerum amplificatio, taenia inter causas quoque excitantes recenseri debent. Exercitatio vehemens, vel quicquid sanguinis motum accelerat eosdem vehementer afficit. CULLENUS dicit quod cum accessus Asthmatis a plenitudine quadam vasorum pulmonum pendere videantur; non veri absimile est, obstructionem perspirationis, sanguinisque ad summam cutem impetum, accumulationi ejusdem in pulmonibus favere; ideoque Asthmati excitando contribuere.

Venti occidentales, tam favonius quam caurus minime Asthmaticis nocent. Sed Eurus diuturnus molestissime habet. Observatum est, Asthmatis accessum saepe procellae antecedere; procellae enim tempestatesque graves omnigenae aëris insolitam levitatem fere praenuncium habent; atque pro caloris frigorisve gradu hanc vicessitudinem comitante, Asthmaticus magis minusve angitur.

DE CAUSA PROXIMA.

Pauci quidem morbi pluribus controversiis de causa proxima, quam Asthma, originem dederunt. Willisius erat qui primus notionem convulsionis in Asthmate confirmavit; Hoffmannus, Floyer, aliique eam adoptaverunt; sed Cullenus ultra excoluit atque exornavit; Darwinius conatibus voluntariis vehementibus ad dolorem mitigandum exertis, attribuit; ut spasmos tamen adesse una fateatur. Culleni verba sunt, "Causa proxima asthmatis videtur esse constrictio praeter naturam et quodammodo spasmodica fibrarum musculosarum bronchiorum; qualis non tantum earum dilatationem liberae et plenae inspirationi necessariam, sed rigiditatem, quae plenam et liberam expirationem prohibet, iisdem impertit."

Alii, et doctissimi viri morbum in larynge, non in pulmonum fibris, musculisve respirato-

riis posuerunt: et ex toto apparet theoriam morbi nondum ita bene constitutam esse.

DE PROGNOSI.

Spes curationis aestimanda est ex violentia et duratione signorum, aegri aetate, constitutione corporis, natura proclivitatis, et potentia causarum excitantium.

Si corpus morbo vacuum sit, ut a pectoris prava conformatione: ab obstructionibus et tuberculis in pulmonibus: si aeger demum juvenis sit, restitutio longe certius sperari potest.

Contra, si vitae aetatem provectiorem vel fere ullam post pubertatem, adoritur, cum crebris accessionis reditibus diu continuatis; si respiratio laboriosa, pulmones pituita vehementer obstructi, comitantes tussi pertinace, curatio difficilis est, longa, dubia. Aliquando in pneumoniam terminet, sed hoc fere junioribus fit circa primam aut secundam morbi

accessionem: atque saepe celerrime evadit lethale. Asthma morbus est, qui aegros per longam vitam moleste habeat; nec tâmen in longe plurimis exemplis periculosus. Si vero morbus diu perstiterit, atque aeger mortem e multis paroxysmis suis evaserit, hydrops finis erit, qui nunquam non aegrum extinguit.

DE DIAGNOSI.

Asthma morbus nimis manifestus est, nec facile aliis morbis confundi potest, excepta fortasse dyspnoea. Sensus autem plenitudinis, et perpetua respirandi difficultas, hanc ab Asthmate satis superque distinguunt. Siquando dyspnoeae causae pro tempore suspensae fuerint, is morbus speciem intermittentem, Asthmatis instar, potest praebere: sed hujusmodi accessiones nunquam constrictionis sensum praebent, raro anheloso sonitu sunt, aut sputum sub fine tantum paroxysmi ejiciunt.

Nonnunquam Asthma conjungitur cum

pneumonia, hydrope pectoris, vitiis cordis; sed etiam iis exemplis assidua signorum contemplatio, auxiliante stethoscopio, comitantium malorum ingenium detegit.

DE CADAVERUM SECTIONE

Mortuorum incisio hunc morbum nihildum illustravit. Morgagnius aliique anatomici serum multum effusum in cellis pulmonum reperiunt. Varii affectus diversorum viscerum in asthmaticis veteribus explorandis reperti sunt; pulmones pleurae costarum adhaerescentes, valvulae cordis in os conversae, foramen ovale patens; cor ipsum amplificatum, adipe obsitum, sero mersum:

Pulmones fere a statu naturali multum mutati; aut maculis nigris aut tuberculis obsiti; cum multis vitiis: quorum nulla tamen morbi originem explicant. Saepissime a puero asthmatici, pulmones et omnia pectoris viscera post mortem sanissima ostenderunt.

DE MEDENDI RATIONE.

" Raro" inquit Cullenus, " Asthma prorsus sanatum videmus: nec ego ullam medendi rationem, quam probaverit experientia, proponere possum."

Asthmatis quidem paroxysmus saepe impraesentiarum allevari potest; sed morbi curatio nisi per eorundem intervalla haud conanda est.

De sanguinis in Asthmate mittendi utilitate, multi dubitant. Signa, quae eam tamen exinanitionem vindicare videntur, sunt corpus plenum, vultus suffusus, pulsus plenus, durus, paroxysmus subitus suffocationem minitans, aetas juvenilis. Spes tamen inde plerumque fallax est: saepe enim si ad illud confugitur remedium, praesertim senibus, periculosum est.

Ipse per annos aliquot hoc malo laboravi;

atque ita affectus ut nemo magis unquam. Partim propria voluntate, partim medentium monitu sanguinis missionem quater perpessus sum ; modo sub ipso paroxysmo, modo ante initium ejus arcendi gratia, sed nunquam quid commodi inde, nisi semel, percepi, nimirum cum impetus pneumoniae minaretur. Contra iis missionibus quas, experimenti gratia, tentaveram, accessum pertinaciorem, tussim minus liberam, dyspnoeam diutius haerentem, quam vulgo observavi.

Quum vero nonnulli solatii quid inde percepisse videntur, forsitan hirudinum, vel cucurbitularum pectori admotio, iis omnia missionis generalis beneficia, et sine incommodis ejus praestaret. Quin Dr Whytt memoriae tradidit accessum nervosum aliquando mera cubiti punctione sublatum fuisse.

Cathartica.—Plerumque nocere putantur ; vehemens quidem purgatio plenis adhibita fuit, forsan eodem consilio, quo medici ad sanguinem mittendum ducti sunt. Exempla no-

tantur quibus paroxysmum induxisse videntur. Nec ulla, ideo, nisi mitissima praecipi debent. Asthmaticorum alvo attendere tamen oportet, atque proclivitatem ad constipationem, siquando appareat, corrigere. Hunc ad finem hauriat mixturam ex Rhei radicis ʒj, Magnesiae ℥iij, Zingiberis ʒss compositam; ad cochleare ex aqua menthae piperitae optimum et tutisimum purgans invenitur. Inter paroxysmum, si alvus admodum adstricta sit, Enema molliens administrari potest.

Emetica.—Nonnullis Asthmatis stadiis utilissima reperta sunt: plerumque ante morbi accessionem. Saepenumero egomet, pestem, vomitorio tempestive hausto, fugavi: accessione sic prorsus evitata. Quin si haec non ex toto arceatur, plerumque longe mitior redditur; spasmus et constrictio minus molesta sunt, spiritus multo liberior. Nunquam novi vomitorium inter spasmum gravem prodesse; aut ubi ingens sanguinis ad caput impetus vel ad inflammationem proclivitas subesset. In universum mitissima adhibenda

sunt; quorum ipecacuanha et tartras antimonii pro aetate aegri, propinatae optima inventa sunt, atque, ni fallor, usitatissima.

Digitalis.—Nonnullis mirifice laudata est: et in pauculis exemplis profuisse videtur. Sic in Volumine IV. Diarii Medici et Physici, historia a Doctore SUGUE Corcagiensi narratur in qua digitalis felicissimo adhibita est eventu.

Opium.—Usus opii fere universus est, atque optimo quidem jure: sed, aethere adjecto, longe utilior evadit. Si quidem hoc medicamentum nimis large datum fuerit, facile asthmatico noceat. Doctor BREE stuporem apoplecticum dierum duorum quatuor opii solidi granis ad initium paroxysmi haustis, induxit. (p. 225.) Perniciosos vero nimiae dosis effectus egomet haud semel expertus sane. Ut paroxysmum arceat, cum aethere sulphurico et aceto conjungi debet, et tum haud raro voto respondet. Saepenumero, vidi guttas tincturae opii xxxv. ʒj aetheris sulphurici ex

aqua paulula, subsidente jam paroxymo sumptas, etiam dyspnoea adhuc urgeret, tussis et excreatio molestae essent, irritationem omnium compescere, summam quietem et solatium universo homini praebere.

Stramonium.—Hujus medicamenti fumus in Asthmate curando summis laudibus elatus est: quippe qui mala repentissime solvere consueverit. Per tubum tabaci cum inhalatus caloris sensum per pectora diffundit, quem sputum nonnullis sequitur. Sed aliis aliisque corporis constitutionibus prius experienda sunt medicamenta, quam medicus de iis pronunciare certus auset; quod enim his prosit, illis haud mediocriter, praesertim in mobili asthmaticorum genere, nocere potest. Nec inexpertus loquor; post enim quam hujus veneni fumum per solidum mensem hora decumbendi assidue hausissem nullum vel minimum inde commodum percepi; immo quamvis ab eo utique ad excreandum proclivior factus, nunquam sputum extussire potui, sine periculo, ut sensi, suffocationis; sum-

maque animi anxietate inducenda. Laudent igitur quibus profuerit, et utantur; nos quidem ei vapori nihil debemus.

Tabacum.—Haud minus quam stramonium alii laudant. Alii damnaverunt. BREE prorsus in exilium agit, causam Asthmatis excitantem aliquando perhibens. Fieri facile potest, ut omnia quae vir doctissimus docet, verissima sint; sed casu nostro effectus fumi tabaci diversissimi erant, nec unquam incommodi.

Tabacum mitissimum seligi debet: tempora, quibus utilissimum inveni, erant, 1. Cum prima accessionis indicia, pectorisque angustiae percipiuntur: 2. Cum dyspnoea continuata est, cum tussi molesta.

In ultimo statu fatigatio surgendi, corpusque vestiendi aliquando intolerabilis est: atque hoc angore detentus saepius coactus sum ante residere, tubumque fumigantem flagitare quam e cubiculo prodire auderem.

Tantum equidem fistulam hujus salutiferam veneror, ut nemo magis; nec unquam, nisi eo comite stipatus foras exspatior.

Vesicatoria.—In Asthmate multum adhibita sunt. Plerique scriptorum testantur parum prodesse; ne durationem etiam mali abbreviasse. In Asthmate humorali tamen melius axiliari dicuntur.

Ipse pluries ea expertus sum et emplastrum pectori quondam per tres menses applicatum servavi, sed nunquam accessionem levare, aut durationem ejus decurtare reperi.

Cataplasmata.—Ex allio pedibus admota auxilia perutilia nonnulli censent.

Fonticuli.—Quoque commodi esse dicuntur, cum plenitudo causa maxime prominens est. Cum morbus hydrope generali conjungitur, auctor est Bree, "respiratio mire leva- "tur fonticulis femoribus insertis." Illustris Floyer hanc libationem similem ei ex criti-

cis evacuationibus putat; adjicitque ulcus humeri quem strinxerat globus tormentarius, in pugna memorabili Boyni fluminis, fortissimo principi GULIELMO Angliae Tertio, Asthma, quamdiu quid profunderit, exemisse.

Expectorantia.—Haec medicamenta utilia sunt: pulmones enim muco onustos levant, maxime cum sputum difficile est, gummi ammoniacum probum expectorans fit; per se datum nimis stimulat, ideoque cum solvente salino mixtum propinetur.

Assafoetida.—Fere cum scillis jungitur, sed non multum valet. Acetum scillae optimum expectorans inveni. Ex cochleari minimo zingiberes in aqua paulula, aceti scillae ʒj saepe mihi insigni fuit solatio sub paroxysmi initium. Acetum commune aqua dilutum expectorans et antispasmodicum est mihi minime silentio praetereundum; utpote cui, per multas accessiones, singulari beneficio fuerit. Pilulae pulveris ipecacuanhae granum unum singulae habentes, hora somni optime sputum

movent; in tussi pertinace, ut sudorificum apprime utiles fiunt. Pulvis ipecacuanhae et opii quoque utilissimus est: eodem haud una vice paroxysmum imminentem fugavi.

Sed nihil mihi aeque profuit ac compositio infra tradita, quam Doctissimus G. P. Alison institutionum medicinae professor, mihi graviter laboranti praecepit.

R. Gummi resinae assafoetidae.
——— ammoniaci, *ā ā* ℥*j*.
Pulv. scillae marit. exsic. ℈*i*.
Mucilag. acaciae Arab. *q. v.*
Subige in massulam, quae divid. in pilulas xiv aequales.

Duae omni mane et vesperi resumendae sunt.

Vaporum inhalatio nonnunquam prodest, nisi aegrum suffocando, vel corpore flectendo, moleste habeat: aqua calida ex aceto, vel ipsa aqua huic rei accommodatur.

Balneum Calidum.—Non multum experientibus profecisse videtur. Bree semper laedere contendit, quippe quod dyspnoeam vehementer exasperat, saepe intra paucas horas paroxysmum superinducat.

Balneum Frigidum.—"Nulli remedio secundum existimo in omnibus Asthmatis varietatibus. Absente paroxysmo exhibetur." Nec aliud novi, quod plus solatii aut roboris corpori conciliat. Nonnulli lene purgans ante usum ejus suadent. Ad unam vel duas sexagesimas horae partes in aqua mansisse sat erit: quo enim diutius mergitur aeger eo minor erit renixus excitatus, et utilitas. Corpus linteis asperis bene siccandum, tum bene exercitandum est. Quum vero hoc balneo uti saepe incommodum sit: spongia cervices et pectora mane humectare, perutile erit. Hoc modo paribus aquae et aceti portionibus nocte et mane egomet diu, cum beneficio manifestissimo, usus sum.

Tonica.—Hujus nominis medicamenta max-

ima usurpata sunt cortex cinchonae: varia ferri praeparata, qualia sunt carbonas, sulphas, aquae chalybeatae. Infusa, quoque, amara adhibentur. Saepe perdifficile est proclivitatem, in hoc morbo, ad dyspepsiam cohibere, quam tamen crebra absorbentium et rhei interpositione arcere oportet. "Creta "et opium," inquit Bree, "Asthmatica ef-"fectuum suorum praestantia percellent; si-"quando a malo viarum primarum irritatio "provenerit." Infusum amarum optimum flores anthemidis nobilis praebent, ventriculo grati et post debilitatem accessionis Asthmaticae, benefici. Cinchona cum acido sulphurico bene corroborat: et plenis dosibus per dies aliquot sumi debet, tum intermitti, tum repeti, et sic deinceps.

Exercitatio, sive libramine, sive navigatione, cursu, sive equo, sed maxime equo, institute, summae utilitatis est. Asthmaticus, quoque, multo mane exsurgere debet, et tribus quatuorve millibus passuum equo vectus domum ad jentaculum redire. Sed in omnibus

ex regula vivere Asthmaticum oportet, quod ad victum, vitae genus, aëris mutationem pertinet. Cibus levis esse debet, concoctu facilis, vitatis omnibus quicunque aërem ventriculo vel intestinis generant.

Victus animalibus aptissimus: cujus caro ovilla, adipe liberata, et assa speciatim laudatur. Saepius, sed parcius assumi debet, quippe quod plenus ventriculus semper moleste habeat, nec raro paroxysmi causa excitans evadat. Cibus bene masticari debet, nec unquam volumine ejus liber septi transversi descensus impediatur. Coena inutilis est, nec ea nisi aliquot ante somnum horis se indulgere Asthmaticus debet.

Potus fermentati omnes, et spiritus vitari debent: licet nonnulli cyathum vini albi lenioris post prandium ex aqua tepida et saccharo nihil nocere reperiunt. Sed aqua ex pane tosto, aut succo limonum acidula facta prodest; et caffaea multis summo commodo bibitur. Haec fortis esse debet, sine saccharo

et lacte. Vidi spasmum commodissime sedare. Cocoa quoque saluberrimum praestat jentaculum.

Sed omnium remediorum tutissimum simul et efficacissimum coeli locique mutatio est; alios aër ruris, alios oppidorum juvat; alios editiorum, alios humillimorum locorum; alios humidus, alios siccus aridissimus; tanta est hujus mali singularis mutabilitas; plerosque vero migratio e frigida in calidam regionem adjuvat, aliquando penitus sanavit. Insula Madeira, Gallia australis, Italia, Hispania, Lusitania loca Asthmaticis aptissima sunt, ubi quidem manere debent, donec omnia Asthmatis signa suppressa sunt; novus corpori vigor additus. Quin transitione haec minime longinqua ab Hibernia Boreali, in Scotiam, per hiemem fere, academiae causa, et mente satis anxia, fere tota mali immunitate gaudeo: simul vero ac in Hiberniam, blandissimae etiam anni tempestate, animoque curis soluto redeo, recurrit quoque accerimus hostis, in uno exemplo ante sextum reditus diem;

haec vero observatio, perspicacem SYDENHAMUM minime effugit.

"Hinc accidit tales, qui prospera valetudine tempore in aestivo fruantur, nihilominus eos morbos profecto evadere in hieme, quibus sunt plurimum obnoxii; hujusmodi, podagra, tussis, asthma, etc. Hinc etiam discimus, cum item in calidiores regiones valde prodest ut remedium eorum morborum, curatio quorum in frigidioribus locis frustra tentatur."

Denique, dum aeger mali solatium sub Jove aequiore petit, caveat ne beneficia coeli sibi pro licentia negligendi leges regiminis idoneus, habeat: semel enim asthmate affectum nullus aër, utcunque benignus contra intemperantiae vel imprudentiae discrimina tutari potest.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1826.